

cum haerentia liquida cruda & immutata versus locum minoris
resistentiae vrgeant, multum p^rae reliquis periculi ominentur.
Quae tertia lege agunt, neglecta a plerisque, imo auxili*i* instar
considerata, longe tutius laedunt. Quis nescit, quo consensu
multi purgantibus sollicitare aluum, quae partim atoniam relin-
quunt partium, partim stimulo suo easdem illuui*e*i prauorum (*a*)
humorum exponunt, imo in saeu*t*ia doloris & orgasmo poda-
grico venam secare haud dubitant? ita vero ipsam illam vim, quae
ab interioribus arcet, infringunt, & motum vitalem repulsioni ab
extremis obnitentem manifeste labefactant. (*b*) Proinde necel-
se est a redundante malo vitalia viscera obrui, & funestam cum
pernicie aegrotantium metafasin fieri. Eadem, cum improuido
euacuantium vsu, terror imprimis praestat, qui cordis actionem
ad momentum sifit, &, quod pallor faciei & extremorum pro-
bat, fluida a minoribus ramis ad maiores regurgitare permittit.
Id, cum fiat in vasis sanguiferis, ad eandem similitudinem de re-
liquis vasculorum seriebus statuendum est. Nec diuersa est ratio,
cur op*i*ata & narcotica hic subiungimus, quia vim cordis proie-
ctilem minuendo arma deturbandi ex sede interiorum viscerum
mali

(*a*) Vid. Th. SYDENHAM. Tr. de Pod. p. 447.

[*b*] Dum retropulsio impacti fit per systolen vasis, quae patente via
vrget, velut in pellucidis animalium vasis apparet, in quibus
liquidum a corde expressum ab arteriis ex parte ad ipsum oculi
fensem agitur retrorsum: palam est, quo minus vis cordis
vrget & dilatat, eo certiorem vasorum collapsu*m* contenta
retropellere.